Esdras I.5.13 2

[A]nno autem primo cyri regis babillonis cyrus rex proposuit edictum
ut domus dei edificaretur. Nam et uasa templi dei aurea et argen
tea quae nabuchodonosor tulerat de templo quod erat
in hierusalem et asportauerat ea in templum babillonis.
et data sunt sesabassar uocabulo quem et principem consti
tuit. Dixitque ei: haec uasa tolle et uade et pone ea in tem
plo quod est in hierusalem et domus dei aedificetur in loco suo.
Tunc ergo sesabassar ille uenit et posuit fundamenta templi dei
in hierusalem et ex eo tempore usque nunc aedificatur et necdum
completum est. Nunc ergo si uidetur regi bonum recenseat Esdras I.5.17
in bibliotheca regis quae est in babillone utrumnam a cyro
rege iussum sit ut aedificaretur domus dei in hierusalem et uo
luntatem regis super hac re mittat ad nos. Tunc darius rex
praecepit et recensuerunt in bibliotheca librorum qui erant repositi
in babillone. Et inuentum est in ecbatanis quod est castrum
in medena prouincia uolumen unum talisque scriptus erat in eo
commentarius. Anno primo cyri regis cyrus rex decreuit ut
domus dei quae est in hierusalem aedificaretur in loco ubi immolent
hostias et ut ponant fundamenta portantia altitudinem
cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum sexaginta.
Ordines de lapidibus impolitis tres et sic ordines de lignis nouis.
Sumptus autem de domo regis dabuntur. Sed et uasa templi dei aurea
et argentea quae nabuchodonosor tulerat de templo hierusalem
et adtulerat ea in babillonem reddantur et referantur
in templo hierusalem in locum suum quae et posita sunt in templo dei.

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, , 1.Esr 5,13-6,5 – Biblia
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-knqo/3865/41137)